nosophistarum, apud quos impransus abibat; qui nullum diurni laboris fructum parentibus afferret: culpa erat non afferre: De meo quod afferrem non habebam; vt afferrem, furari satius fuit alienum; affero igitur, & offero Dominationi tuæ Illustris. ac Reuerendis. Adm.R.P.F.Laurentij de Peyrinis Informatoris, & Præceptoris tui, tuique amantissimi opera, & ad Subditos, & ad Prelatos attinentia, quæ olim ab eodem in lucem edita, & per orbem diffusa tantam, tamque variam prætulerunt doctrinam, vt plures plurimum ex ea fateantur se profecisse. Vnde iure potest de se ipsa dicere, OMNIBVS PROSVM, eodem enim modo, quo aqua vnico in vase floribus varijs vigorem conseruat, doctrina hoc in libro contenta diuersis hominum, præcipue Regularium, vtilis est rebus, & genijs. Legant, iterumque legant Regulares omnes, legite Subditi, & discetis esse subditi, legite Prælati, & scietis quomodo præesse debeatis; cumque omnes instar apum succos decerpitis meliores, cognoscite, quod IAM VOBIS MELLIFICATIS, dũ Regulares regularia perlegentes iura fouetis Regularium. Ignosce Illustris. ac Reuerendis. Domine, si tantisper eram digressus; ad librum redeo, qui excussus denuò non tantum meo studio, quàm tuo patrocinio dicit, SEMPER VIVO, sibi vindicans proprietates herbæ illius, quæ in tectis nascens oculi equini refert imaginem, semper virens; vnde semper viui nomen habuit à nostris Medicis, Zoophtalmos à Græcis. Viri docti tecta sunt, oculi sunt, semper virentes sunt, qui cęteris altiores humanis rebus inuigilant in aduersis eumdem retinent semper animum. Hoc tibi dabit hic liber, & iam dedisse probant Prudentia, & Vigilantia, quibus Religionem nostram inuicte moderatus es, & Ecclesiam tuam moderaris. Suscipe libenti animo, eoque illud amore velim amplecteris, quo auctorem, dum degeret in viuis, prosequutus es, & quoties librum à te perlegi contigerit, sodalis olim tui, deinde discipuli, postea subditi, nunc Angeli tui memineris, & Rege felix.

AD LE-